



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio IX. De interpretatione, dispensatione, abrogatione & cessatione
legum humanarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

potest quidem nisi malum moraliter actum facere; at si facit, validum facit, nisi lex alia in subsidium legis purè prohibentis veniat, & actus valori resistat.

Obj. 2. Actus non sunt validi sine adminiculo juris. At jus non cooperatur actibus, qui sunt contra legem prohibentem. Ergo, &c. *Resp.* Ad hoc ut actus sint validi, eos per se loquendo non indigere adminiculo juris, seu non indigere, ut jus illis positivè assit, sed satis esse, quòd illis non resistat irritando: quando enim voluntati humanæ per voluntatem superioris facultas non adimitur, vel impeditur quoad potestatem & valorem actus, tandiu ex natura rei validè contrahit, donat, & alia similia facit.

RESPONSIO IV.

Leges ecclesiasticæ non irritant actum, quem purè & simpliciter prohibent.

Prob. Nam si irritant, vel irritant ex natura rei, vel propter legem *Non dubium*, vel denique propter legem aliam ecclesiasticam, irritantem actus factos contra leges ecclesiasticas, purè & simpliciter prohibentes. Nihil horum dici potest. Non primum, ut patet ex dictis superius. Non secundum, quia lex *Non dubium*, cum sit civilis, non interpretatur leges ecclesiasticas. Præterea, dici non potest, quòd fuerit canonizata, ut mox ostendetur. Non denique tertium, quia nulla lex hujusmodi assignari potest. Ergo, &c.

Obj. Gregorius Papa lib. 1. Registri indict. 2. ep. 7. canonizavit legem *Non dubium*: nam ita loquitur: *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quæ contra leges sunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.* Et cap. *Quæ contra*, de regulis juris in 6. dicitur: *Quæ contra jus sunt, debent utique pro infectis haberi.*

R. ad 1. Gregorium loco laudato declarare testamentum cujusdam Abbatis invalidum esse, quia factum erat contra legem Justiniani, prohibentem monachos testari, cujus effectum ostendit per verba laudata. At non acceptat legem *Non dubium*, ut vim habeat in jure canonico. *Resp. ad 2.* Regulam allegatam, vel tantum instruere judicem, ut rescindat ea quæ contra leges prohibentes facta sunt, si poterunt & merebuntur rescindi, vel intelligendam esse de iis quæ sunt contra leges statuentes formam substantialem actui, & sine qua proinde actus validus esse non potest.

DISPUTATIO IX.

De interpretatione, dispensatione, abrogatione, & cessatione legum humanarum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quotplex sit legum humanarum interpretatio.

I. Interpretatio legum humanarum triplex est, authentica, usualis, & doctrinalis. Authentica est ea, quæ sit autoritate illius, qui legem potest ferre. Usualis est ea, quæ sit per ulum & consuetudinem, quæ est optima legum interpretes. Doctrinalis denique est ea, quæ sit per doctrinam & explicationem peritorum. Hæc autem postrema interpretatio à duabus prioribus differt in eo, quòd non habeat vim legis, quia non procedit ab habente potestatem jurisdictionis: unde detegit tantum obligationem, non eam facit. Quòd si obligationem deregat evidenter, aut certò moraliter, quia omnes aut penè omnes Doctores in eundem legis sensum consentiunt, tunc lex servari debet juxta sensum illum: Si verò Doctores inter se dissentiant circa sensum legis, tunc quilibet, tuta conscientia, sequitur interpretationem, sibi omnibus maturè ponderatis, verisimiliorem, quamvis libertati faveat.

Porro ad faciendam interpretationem doctrinalem, diligenter considerare oportet proprietatem verborum legis, rationem seu causam legis, præsertim si in lege expressa est; materiam legis, & circumstantias, aliaque adjuncta, quæ aliquid possunt conferre ad detegendam legislatoris mentem & intentionem, quæ etiam conjici potest ex aliis legibus, in quibus eadem verba, vel similia, in tali sensu accipiuntur; vel ex eo, quòd alioquin verba legis continerent injustitiam, vel absurditatem: nam correctio legum odiosa est, & quantum potest, vitari debet; vel denique ex eo, quòd alteri legi repugnarent: leges enim debent inter se conciliari, & alia per alias explicari.

2. Interpretatio legis iterum duplex est, una simplex, qua interpretamur verborum ambiguitatem, & altera per æquitatem, qua interpretamur casum aliquem particularem non comprehendi in lege, quamvis verba legis clara sint, & ad casum illum extendi videantur, quia generalia sunt; & hæc interpretatio vocatur Epykia, quæ à Doctores cum Aristotele communiter definitur, Emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter universale, hoc est, æqua & rationalis interpretatio legis, quod non obligat in aliquo casu particulari, quamvis generalibus verbis lata sit à legislatore. Unde Epykia est restrictio quadam legis in certis casibus, quos rationabiliter præsumitur non comprehendere, licet ejus verba id præferant, quia generalia sunt.

Porro quandoque necessarium est & obligatorium uti Epykia, quando qui legem observaret, contra rectam rationem ageret; quandoque verò licitum est, sed sine necessitate & obligatione morali, quando lex observari potest absque peccato, imò & laudabiliter per actum heroicum; tamen non obligat cum tanta necessitate ad sui observationem.

ARTICULUS II.

Penes quos sit potestas dispensandi in legibus humanis.

Nota. Dispensatio propriè dicta, de qua hic agitur, est legis relaxatio circa personas aliquas, vel aliquos actus, aut effectus legis in iis casibus, in quibus alioquin lex obligaret, aut talem effectum haberet. Unde potestas hoc modo dispensandi, est potestas jurisdictionis, & est duplex, ordinaria scilicet, & delegata. Ordinaria est ea, quæ competit alicui, ratione sui officii, seu ex vi sui muneris: delegata verò est ea, quam quis habet ex concessione illius qui ordinariam habet. Hæc autem potestas delegata concedi potest duplici modo, nempe, ut loquuntur, ab homine, vel à jure. Quòd si à jure datur, transit in ordinariam, vel ei æquiparatur. Si datur ab homine per privilegium, non expirat per mortem concedentis: si verò datur per simplicem commissionem, mortuo vel amoto delegante, cessat, si res est integra. Quocumque autem modo detur, est favorabiliter & amplè interpretanda, salva proprietate verborum, quia est beneficium Principis, & ad bonum commune valde utilis, si prudenter & moderatè ea utatur delegatus.

RESPONSIO I.

Potestatem dispensandi in lege humana ordinariam habet Princeps, vel alius superior, qui eam tulit; item successor illius cum pari potestate; item, qui potestatem habet superiorem circa eosdem subditos.

Prob. 1. pars. Nam ad eandem potestatem pertinet ferre legem, & in ea dispensare. *Prob. 2. pars.* Nam qui succedit cum pari potestate, reipso potest id totum, quod potuit is cui succedit. *Prob. 3. pars.* Nam superior potest abrogare legem inferioris. Ergo à fortiori ordinariam habet potestatem in ea dispensandi.

RIS.

RESPONSIO II.

Inferior non habet potestatem ordinariam dispensandi in lege superioris, at potest habere delegatam.

Prob. 1. pars. Nam officium inferius & subordinatum, non dat nec dare potest potestatem ordinariam dispensandi in lege superioris. At inferioris officium inferius est & subordinatum. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia ex natura rei non requiritur ad dispensationem, ut ipse legislator per se ipsum illam exercent, sed potest illam exercere per alium. Ergo potest inferiori delegare potestatem dispensandi, exceptis tamen casibus, in quibus hoc jure aliquo speciali prohibitum est.

RESPONSIO III.

Qui potestatem habet ordinariam, & à fortiori qui non habet nisi delegatam dispensandi in lege, peccat dispensando sine justa & rationabili causa.

Prob. Nam, quod est vitium acceptionis personarum, & justitiæ distributivæ oppositum, imprudenter & irrationabiliter liberat ab onere communi eum, qui non est liberandus, aut eo modo, quo non est liberandus. Unde potius dissipat, quam dispensat. Itaque peccat graviter, si materia in qua dispensat, gravis est; & tandiu peccat, quandiu non revocat dispensationem, quoad usum futurum. Item peccat subditus, petendo dispensationem sine justa causa, quia superiorem inducit ad actum illicitum: sicut peccat etiam, utendo tali dispensatione. Sed ex occasione data.

Nota 1. Duplex est causa dispensandi in lege humana; una intrinseca, quæ observationi legis directè opponitur, afferendo aliquid impedimentum legi, aut ejus observationem reddendo nimis gravem. Talis est infirmitas aliqua respectu legis qua præcipitur jejunium. Altera verò extrinseca, quæ à circumstantiis extrinsecis sumitur, ut à nobilitate, dignitate, honoribus, meritis erga rempublicam, &c.

2. Quid sufficiat, ut causa dispensandi sit justa, generaliter definiri non potest, sed in casibus particularibus prudenti judicio decernendum est pro loco, tempore, persona, & aliis circumstantiis occurrentibus.

3. Necessè non est, tantam esse causam justitiam, ut vi illius solius cesset obligatio legis: nam tali causa existente, non esset opus dispensatione, sed ad summum interpretatione, quando scilicet tanta causa justitia non esset satis nota.

4. Quamvis non debeat causa justitia esse tanta, ut tollat legis obligationem, talis tamen debet esse, ut idonea sit ad movendum rationabiliter superiorem ad hoc ut relaxet vinculum legis, quod aliquando maneret.

5. Licet inferior dubitet utrum ratio petendi dispensationem sit sufficiens, non tamen peccat, illam sincere proponendo superiori, aut utendo dispensatione, si derur, si modò deponat dubium, conformando judicium suum judicio superioris, qui prudenter judicasse causam dispensandi sufficientem fuisse, præsumendus est, nisi ratio gravis in oppositum obstat.

6. Necessarium non est causam dispensandi talem esse, ut ea existente, superior dispensare teneatur; sed satis est, quòd possit licetè cum subditis benignitè agere dispensando, & tunc dispensatio data vocatur in jure, Gratia.

7. Quando causa dispensandi talis est, ut superior teneatur dispensare, quia vel bonum commune aut privarum petentis dispensationem id postulat, vel superior potestas præcipit ut dispensetur; non ideo subditus liber est ab obligatione legis, si negetur dispensatio. Unde tunc vel ad superiorem potestatem recurrendum est, vel servanda est lex.

RESPONSIO IV.

Dispensatio data etiam sine justa causa, valida est, si derur ab eo qui ordinariam habet potestatem dispensandi, secus, si ab eo qui tantum delegatam habet.

Simonnet Theol. Tom. II.

Prob. 1. pars. Nam obligatio legis pendet non solum in fieri, sed etiam in conservari à voluntate legislatoris, & consequenter ab eo qui succedit cum pari potestate; & à fortiori, ab eo qui superior est. Ergo si legislator, vel æqualis, aut superior, nolit eam obligare in aliquibus circumstantiis, aut aliquas personas, quacumque de causa nolit, reverà non obligat. Unde tunc subditus utendo dispensatione, non peccat contra legem humanam, nec poenam incurrit, quam imponit lex illa; peccat tamen contra legem naturalem, qua prohibetur, ne pars toti discordet sine rationabili causa, & peccat contra virtutem illam, ex cujus affectu lex humana præcipit vel prohibet actum, perinde ac si non esset cum illo dispensatum; quia nimirum lex naturalis ex affectu ejusdem virtutis præcipit subdito ut omittat vel faciat actum prohibitum vel præceptum lege humana, quandiu lex humana viget, aut ipse non habet rationabilem causam utendi dispensatione obtenta.

Prob. 2. pars. Nam 1. obligatio legis non pendet in conservari ab inferiore, sicut nec ab eo pendet in fieri. 2. Superior censendus est inferiori non concessisse potestatem dispensandi nisi ex rationabili causa. Ergo, &c.

Dices. Homines non acceperunt à Deo potestatem dispensandi in votis, nisi ex justa causa. Unde dispensationes in votis, sine justa causa datæ, sunt invalidæ. Ergo, &c.

Resp. Neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia in dispensatione votorum, legislator est purus dispensator & œconomus. At in dispensatione legis suæ dominus est: tunc enim non vult uti jure quod habet ad obligandum, & potest nolle etiam irrationabiliter; cum planè liberum ei sit velle non velle. Nolendo autem non obligat, licet peccet; proindeque dispensat, etiam sine justa causa relaxando vinculum obligationis, quæ continuò pendet ab ejus libera voluntate obligandi.

ARTICULUS III.

Utrum & quòd modis abrogari possint leges humane.

RESPONSIO I.

Legislator potest quacumque de causa validè abrogare legem à se latam. Idem potest successor cum pari potestate, & à fortiori utriusque superior.

Prob. 1. pars. Nam, ut jam dictum est, obligatio legis non solum in fieri, sed etiam in conservari pendet à libera voluntate legislatoris; & ita sicut tandiu perseverat, quandiu perseverat moraliter voluntas obligandi legislatoris, ita definit penitus, cum penitus definit voluntas obligandi legislatoris. Atqui voluntas obligandi, quam legislator habet, penitus definire potest pro legislatoris arbitrio. Ergo pro legislatoris arbitrio potest penitus definire obligatio legis, & consequenter quacumque de causa potest legislator abrogare legem suam, quamvis peccet, hoc faciendo sine justa & rationabili causa: hoc enim, quod grave est, bono communi adversatur.

RESPONSIO II.

Inferior non potest abrogare legem superioris sine ejus licentia.

Prob. Nam voluntas & jus inferioris non potest prævalere contra voluntatem & jus superioris. Hinc Episcopi non possunt abrogare leges Pontificias, aut quidquam statuere contra jus canonicum, vel leges suorum superiorum, ut Concilii provincialis, vel nationalis. Hinc laici derogare non possunt legibus ecclesiasticis, &c.

RESPONSIO III.

Abrogatio legis fieri potest tribus modis.

T

Prob.

Prob. Nam fieri potest, 1. per simplicem revocationem. 2. Per contrariam consuetudinem non scriptam, à superiore expressè vel tacitè approbatam. 3. Per aliam legem, qua vel constet de abrogatione simpliciter facta, vel contrarium priori legi statuatur, quod sit interdum addita particula derogante in generali, vel in particulari, non obstante, &c. Interdum verò sine tali particula, & sine ulla mentione prioris legis: nam si lex posterior stare non potest cum priore lege, illam revocat: posterior enim voluntas priori contraria, priorem revocat. Tunc tamen abrogatio, quantum fieri potest, restringi debet, quia communiter odiosa est, & de se, nisi necessaria sit reipublica nociva. Unde quantum potest fieri, leges sunt inter se conciliandæ, & legum concordia anteponenda est abrogationi, nisi tamen prioris legis abrogatio, & successio posterioris, favorabilior sit. Sed

Observa 1. Leges speciales non abrogari per posteriores generales, sine expressa mentione, sed è con-

tra has per illas limitari. Ratio est, quia, ut docent Canonistæ communiter, Princeps censetur ignorare legem specialem, cujus expressam mentionem non facit: unde quia voluntas non fertur in incognitum, non censetur velle illam abrogare per legem generalem posteriorem, non habentem clausulam derogatoriam.

Observa 2. Triplici modo supra dicto legem abrogari posse validè, sive iusta sit causa abrogandi, sive non. Iustæ autem abrogationis causæ sunt, si lex alia contraria, utilior futura sit; si propter rerum mutationem, expediat leges alias condi; si legum multitudo sit magna, & aliquas vel multas revocari expediat.

Quæres. Quando cesset lex? *Resp.* Ipsifacito cessare, quando cessat tota & integra ratio, propter quam lata est: quia lex non obligat, nisi quandiu legislator vult, ut obliget. Atqui tota & integra causa, propter quam lex lata fuit, cessante, legislator non vult amplius legem obligare. Ergo, &c.

